



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 25. Medicæi Cardonnam, & Hispaniæ Ministros sibi devinciunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. A.C.1512. Soderino Florentiam redire datum est, ea tamen lege, ne Dictatoris munus obiret, nec speciatim de Medicæis mentionem ingereret; hos enim cum ceteris patria olim proscriptis pari fato habebant, decernentes, quod promiscue omnibus Florentiam reverti integrum esset, privatorum tamen ordini accensendi venirent.

## §. XXV.

*Medicæi Cardonnam, & Hispaniæ Ministros sibi devinciunt.*

**H**is pactis integra fide adimpletis, mox Hispani e Pratensi urbe excessissent, si Florentini centum quadraginta aureorum millia illis imposita quantocius numerassent; cum vero hi nonnisi Gurcensi Episcopo pro Cæsare quadraginta, pro Cardonna autem viginti nummum millia penderent, atque Hispani non nisi mediam promissæ pecuniæ partem ab eis acciperent, Cardonna copias suas Prato revocare recusabat: Inde vero Medicæus Cardinalis, & Julianus ejus frater, qui exigua pompa, ac nemini suspecta Florentiam intrabant, Hispanos sibi demerendi spacium nanciscebantur. Præterea Joannes Baptista Rudolphi, cum Soderinus munus abdicaret, Dictator eligebatur, adjecta lege, ut singulis sex Mensibus Magistratus permutaretur. Hanc tempo-

temporis opportunitatem Medicæi exco- Sæcul. XV.  
 quendis suis consiliis impendebant, ac A.C. 1512.  
 Pratum, quicquid pecuniarum atque u-  
 nicum haberent, deferentes Amicis suis  
 mutuo dabant, suaque benevolentia An-  
 dream Caraffam supremi Hispanorum  
 Ducis Legatum ad suas partes trahebant,  
 demum clam cum Cardonna collatis con-  
 siliis eundem quoque in suam sententiam  
 inclinabant. Ceteri quoque Duces ad  
 Medicæorum studia pellecti, militibus  
 suis Florentini Prætorii spoliū pollice-  
 bantur.

§. XXVI.

*Medicæi Florentiam regressi urbem  
 occupant.*

Cum hæc die trigesima prima Augusti  
 hoc anno ita disponerentur, clam a-  
 lienis vestibus induti Florentiam immit-  
 tebantur tot Hispani, quot ad Medicæo-  
 rum factionem augendam, adversamque  
 viribus infirmam necessarij censeban-  
 tur. Post hæc Cardinalis, & Julianus  
 ejus frater Prato Florentiam venerunt,  
 ac prima Septembris die vespere versus  
 horam quartam urbem ingressi sunt, tan-  
 to suorum numero stipati, ut quæ agi-  
 tarent consilia, haud obscure proderent.  
 Altera die Julianus Senatum accessit,  
 introduci postulans: Interea vero Hispani,